


Notae de Romanorum annalibus

Eduard Schwartz



Dum nuper quas Dionysius Halicarnasensis inuita Minerva ex Romanorum annalibus compilauit historias pertracto nisi dis iratis accidere non potuisse iterum iterumque mecum ipse questus, ut tam insulsi hominis intolerabilem loquacitatem non modo ferre sed etiam attente legere deberem, subito incidi in narratiunculam, qua sicut uiator post duros longi itineris labores recreatus sub istis quoque carbonibus thesauros latere cognoui. ipsum Dionysium nolite credere felicius laetiusque inueniendi et dicendi genus sibi assumpsisse — illius plumbeae mediocritatis proprium est semper sibi parem manere —, sed ex eius tenebris emersisse mihi uisus est uir quidam Romanus qui cum more maiorum post curiae forique turbas et procellas otium in annalibus conscribendis tereret, ita sane eos innumeros qui ante eum scripsere secutus est, ut impudenter mentiretur, tamen in eo diuersus ab illis esse uoluit, quod adeo lepide iocose ridicule mentitus est, ut non historiam ieiunam, sed mimi ludibria te legere putares. ipsam rem uobis proponam.

Anno a. u. c. CCLIV, quem Dionysius alteri anno olympiadis septuagesimae [499/8], nos anno quingentesimo a. Chr. n. aequamus, Ser. Sulpicio M'. Tullio coss. antiquitatum Romanarum scriptor Graecus [5, 53—57] ex sceleratorum hominum coniuratione summum periculum rei publicae nondum adultae imminuisse narrat, tamen populi Romani fortuna diuinaque providentia factum esse ut nefaria consilia antequam erumperent, detegerentur eorumque auctores meritas poenas luerent. huius rei ne tenuissimum quidem uestigium apud Liuium [2, 19] inueniri non magni aestimo; cum enim eam legem sibi scripsisset ille rerum ueritatis iudex pessimus, sed artis narrandi callidissimus opifex ut in antiquissimis temporibus quam breuissimus esset pauca sed splendida profereudo, facile accidit ut consulto historiolum illam omitteret. grauius est quod apud Dionysium ad annum qui praecedit similis cuiusdam coniurationis narratio multo tamen breuior extat [5, 51], unde oritur suspicio, quo iterum iterumque per saecula Romanorum annales corrumpebantur, id hic quoque euenisse, ut si qua inuento

placuit, ea ab alio annalium scriptore nouata repeteretur, denique duplex antiquo nouoque coniuncto mendacium existeret. neminem certe fallet Dionysius, cum adnotat suspectam coniurationum illarum similitudinem magis indicando quam excusando [5, 53³]: *καὶ γίνεται συνωμοσία κατὰ τῆς ἀριστοκρατίας, οὐ μόνον ἐλευθέρων ἀπόρων, ἀλλὰ καὶ δούλων πονηρῶν ἐλευθερίας ἐλπῖσιν ὑπαχθέντων, οἱ διὰ τοὺς κολασθέντας ὁμοδούλους ἐν τῷ παρελθόντι ἐνιαυτῷ δυσμενῶς καὶ ἐπιβούλως διακείμενοι πρὸς τοὺς δεσπότης ἀπιστούμενοί τε ὑπ' αὐτῶν καὶ ἐν ὑποψίαις ὄντες ὡς καὶ αὐτοὶ σφίσι ἐπιτησόμενοί ποτε εἰ καιρὸν λάβοιεν, ἔσμενοι τοῖς παρακαλοῦσιν πρὸς τὴν ἐπίθεσιν ὑπήκουσαν.*

Prior illa seruorum coniuratio num tradita an ficta sit et si ficta, quo consilio inuenta sit, non curo: adeo laetiolem quaerendi altera praebit materiem. coniuratorum consilia ita exponit Dionysius [5, 53⁴]: *τοὺς μὲν ἡγεμόνας τῆς ἐπιχειρήσεως ἔδει φυλάξαντας νύκτ' ἀσέληνον τὰς ἑκρας καὶ τοὺς ἐρμυνοὺς τῆς πόλεως τόπους καταλαμβάνειν· τοὺς δὲ θεράποντας, ὅταν αἰσθῶνται κρατούντας ἐκείνους τῶν ἐπικαίρων χωρίων· ἀλαλαγμῷ δὲ τοῦτ' ἐμειλλεν αὐτοῖς γενήσεσθαι φανερόν· ἀποκτεῖναι τοὺς δεσπότης καθέυδοντας, ταῦτα <δὲ> διαπραξαμένους τὰς τε οἰκίας διαρπάσαι τῶν εὐπόρων καὶ τὰς πύλας τοῖς τυράννοις ἀνοῖξαι.* quae ubi primum legi, in mentem mihi uenit alius cuiusdam coniurationis uel nimis notae idemque uos passuros spero, commilitones humanissimi, imprimis tirones quorum aures etiam nunc resonant disertissimi Romuli nepotum orationibus Catilinariis. comparetis uelim hosce locos:

Cic. Catilin. 4, 11: *uideor mihi uidere hanc urbem . . . subito uno incendio concidentem; cerno animo sepulta in patria miseros atque insepultos aceros civium; uersatur mihi ante oculos aspectus Cethegi et furor in uestra caede bacchantis; cum uero mihi propositi regnantem Lentulum . . . cum exercitu uenisse Catilinam 13 hic (Lentulus) ad euertenda rei publicae fundamenta Gallos arcessit, seruitia concitat, Catilinam uocat, attribuit nos trucidandos Cethego et ceteros ciuis interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Cassio 3, 8 (Volturcius index dixit) ab Lentulo se habere ad Catilinam mandata et litteras ut seruorum praesidio uteretur; ut ad urbem quam primum cum exercitu accederet, ul autem eo consilio ut, cum urbem ex omnibus partibus, quem ad modum discriptum distributumque erat, incendissent caedemque infinitam civium fecissent, praesto esset ille qui et fugientis exciperet et se cum his urbanis ducibus coniungeret. noctem a Catilinae sociis diripiendae urbi constitutam esse auctores sunt Sallustius [Catil. 43] et Plutarchus [Cic. 18]. restare quae discrepent fateor neque omnia ita facile explicari ut lepidum illud inuentum*

quo Tarquinius rex alter Catilina fit; tamen non eae sunt dissimilitudines quae a comparando tamquam a vano futtilique incepto deterreant. pergamus igitur.

Ad alterum consulem Ser. Sulpicium, non ad M. Tullium coniuratio defertur per fratres quosdam Tarquinius Publium et Marcum [Dionys. 5, 54]. praeter Allobrogum legatos Titumque Voltarcium quos omnes norunt, delatio a Sallustio [Cat. 43] commemoratur Tarquiniui cuiusdam, qui eadem fere quae Voltarcium, de paratis incendiis de caede bonorum de itinere hostium, iussus a consule senatum docuerit. quae de Crassi indicio adduntur, a nostra re aliena esse uidentur, sed nomen Tarquiniui in utraque historia et uera et ficta redire alterum suspicionis argumentum est.

Senatus postquam consul de coniuratione rettulit, decrevit ut uiderent consules ne quid res publica detrimenti caperet. hoc enim senatus consultum, quod ut extremis rei publicae liberae temporibus aptissimum ita ab antiquis moribus et institutis prorsus alienum erat, dubitari nequit quin lateat sub Dionysii uerbis [5, 55] *λαβῶν ἐξουσίαν παρ' αὐτῶν ἀτοκράτορα τοῦ διερευνησάσαι τοὺς μετασχόντας τῶν ἀπορρητῶν βουλευμάτων καὶ τοῦ κολάσαι τοὺς ἐξευρεθέντας*. idem a senatu decretum esse, postquam Cicero consul de Catilinae nefariis consiliis rettulit, narrat Sallustius [Cat. 29, 2 cf. Cass. Dion. 37, 31²], confirmat ipse Cicero [Cat. 1, 3. 4]. a Sallustio hoc senatus consultum ultimum ita definitur [Cat. 29²]: *ea potestas per senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque ciuis, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere, aliter sine populi iussu nullius earum rerum consuli ius est*. callidus M. Tulli optimatumque obtrectator id praeterit quod illo tempore quibus reipublicae Romanae peritus, ubi haec legit, supplesse putandum est, quam potestatem illo decreto prouocationem tollendi inde a temporibus Gracchorum senatus sibi uindicauit, contra eam ipsam potestatem a popularibus acerrime pugnatum esse: ipsius Ciceronis exilium huius controersiae exemplum est. ipsis igitur in certaminibus ultimum rei publicae liberae temporum uersari nobis uidetur, cum Dionysii uel potius Dionysii auctorem summis laudibus id audimus persequentem, quod consul Sulpicius maximo imperio uti noluit, sed iura legesque seruare optimum et tutissimum duxit: οὐ τὴν ἀνθάδη καὶ τυραννικὴν ἦλθεν ὁδόν, ὡς ἕτερος ἂν τις ἐποίησεν εἰς τοσαύτην κατακλισθεὶς ἀνάγκην, ἀλλ' ἐπὶ τὴν εὐλόγιστόν τε καὶ ἀσφαλῆ καὶ τῷ σχήματι τῆς καθεστῶσης τότε πολιτείας ἀκόλουθον ἐτράπετο. neque enim eum ciues indemnatos ad mortem duci iussisse, ut et fletus lamen-

tationesque propinquorum euitaret et prohiberet quominus desperati quidam armis captis urbem sanguine ciuili implerent, neque iudiciis eos tradidisse, ne rei potestate negandi facta iudicibus necessitatem imponeret siue absoluendi siue non confessos damnandi. quae omnia nisi ad instituta moresque saeculi Ciceroniani rettuleritis, ne intellegetis quidem. antiquo tempore eiusmodi coniurati a duumviris perduellionis in iudicio populi accusandi erant, damnatis ad populum prouocare licebat, duumviri populum rogabant an reos absolueret. de hoc iudicio non cogitari apparet, sed de eis iudiciis publicis qualia primo rerum repetundarum, tum multorum aliorum criminum praesertim a Sulla instituta erant, in quibus prouocationis potestas non fiebat, quoniam iudicium non penes magistratus erat, sed penes iudices ex populi ordinibus eiectos. quid in iis accidere posset, luculentum exemplum P. Clodius praebuit, cum criminis comperti et manifesti reus impudenter absolutus est. eius modi igitur iudiciis quod coniuratos non tradidit, laudasse scriptor uidetur Seruilius antiquissimum consulem, ita tamen ut Ciceronem nouissimum consulem hanc ob causam ab eo non uituperari appareat. longe aliter res se habet in altera ratione quod facere nolentem scriptor ille fingit Seruilius, id facere uoluit Cicero neque gloriari quod fecisset, usque ad uitae finem destitit: Catilinae socios sine iudicio imperio consulari siue usus siue abusus in carcerem duci necarique iussit, qua de causa a P. Clodio tyrannus atque ereptor libertatis esse dicebatur [Cic. p. Sest. 109] neque a Clodio tantum, cf. p. Sulla 21 *hic ait se ille, iudices, regnum meum ferre non posse. quod tandem, Torquate, regnum? consulatus, credo, mei; in quo ego imperaui nihil et contra patribus conscriptis et bonis omnibus parui; quo in magistratu non institutum est uidelicet a me regnum, sed repressum.* timorem tum fuisse ne res ad vim et arma rediret, testes sunt scriptores, neque num falsa an uera narrent, quaerendo opus est, quoniam a Ciceronis aequalibus talia credita esse quin illi scriptores demonstrent, dubitari nequit. dicit igitur Plutarchus, postquam Lentuli Cethegi ceterorum mortem descripsit [Cic. 22] ὁρῶν — Cicero scilicet — πολλοὺς ἐτι τῆς συνωμοσίας ἐν ἀγορᾷ συνεστῶτας ἀθρόους καὶ τὴν μὲν πρῶξιν ἀγροῦντας, τὴν δὲ νύκτα προσμένουστας ὡς ἐτι ζώντων τῶν ἀνδρῶν καὶ δυναμένων ἐρηκασθῆναι, φθεγγόμενος μέγα πρὸς αὐτοὺς ἔφησεν' εἶπεν. paullo aliter neque sine Ciceronis tecta uituperatione Cassius Dio rem exponit [37, 35]: παρασκευαζομένων δὲ δὴ πολλῶν καὶ δοῦλων καὶ ἐλευθέρων, τῶν μὲν ὑπὸ δέουσι, τῶν δὲ καὶ οἴκτωι τοῦ τε Λεντούλου καὶ τῶν ἄλλων ἐξαρκῆσαι πάντας αὐτούς, ὅπως μὴ ἀποθάνωσι, προπυθόμενος τοῦθ' ὁ Κικέρων τό τε

Καπιτώλιον καὶ τὴν ἀγορὰν τῆς νυκτὸς φρουρᾷ προκατέσχε καὶ . . . τὸν μὲν δῆμον τοῖς στρατηγοῖς ὀρκῶσαι ἐς τὸν κατάλογον, εἰ δὴ τις χρεια στρατιωτῶν γένοιτο, ἐκέλευσεν, αὐτὸς δὲ ἐν τούτῳ τὴν βουλὴν ἤθροισε καὶ σφᾶς συνταράξας τε καὶ ἐκφοβήσας ἔπεισε θάνατον τῶν συνειλημμένων καταγνῶναι. *quidquid de harum narrationum fide indicatur, ipse Cicero aliquod certe periculum ab infima plebe fuisse fatetur [Cat. 4, 17]: qua re si quem uestrum forte commouet hoc quod auditum est, lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas, pretio sperare sollicitari posse animos egentium atque imperitorum, est id quidem coeptum atque temptatum.*

Postquam quae facere noluit Seruilius, enumerata sunt, exponitur quid re optime gesta consecutus sit. callidissimo enim consilio non minus quattuor commoda et sibi ipsi et rei publicae comparauit, primum ut ipsi coniurationis duces sua sponte in unum locum conuenirent, deinde ut manifesto criminis coarguerentur, tertium ut hoc ipsum non secreto et inter paucos, sed populo adstante in ipso foro fieret, denique ut sine ullo motu ciuili uel motus periculo poenam seuerissimam subirent. iam quale fuit illud non minus ciuile quam consulare consilium quod Seruilius uel potius uaferrimus iste Ciceronis aequalis excogitauit? senatores in superioribus urbis locis, equites circa forum armatos disposuit, ita tamen ut non in publicum prodirent, sed domibus se tenerent signumque consulis expectarent. quid Cicero? urbem terruit armorum conspectu, ipse etiam diu post consulatum equitum Romanorum illud praesidium quo curiam circumdederat, laudibus usque ad caelum tollere solebat [cf. Drumann. 5, 504⁶⁸], ipse in quarta Catilinaria urbanam illam militiam describit qua ut senatus libere et sine timore decerneret, efficiebat. tamen non illi tantum timores orti sunt, quos supra commemorauimus, sed postquam Cicero Catilinae socios necauit, alteri consuli munus relinquebatur bellum cum ipso coniurationis duce gerendi, qui quod ex urbe cessit, male rem egisse Cicero haud paucis uisus est; cf. quae olim exposui in Hermae uol. 32, 576 sq. multo prudentius Seruilius res instituit. praeter praesidia senatorum equitumque clam disposita non tumultuaria militia, sed exercitu ordinario urbem tutatur: alterum enim consulem ex bello Fidenati accessit campumque Martium occupare iubet, ut motus intestinus ne oriri quidem possit. praeterea ne ullum quidem coniurationis ducem euadere sinit, sed omnes uno eodemque tempore et detegit et capit. tam lepida insolentia Ciceronem urbis togatum custodem nemo ex tot obtrectatoribus irrisit quam annalium iste scriptor, cum Seruilius consulem id consecutum esse narrauit, ut omnes

coniurationis principes certo quodam noctis tempore in forum conuenirent, senatorum equitumque praesidiis circumdarentur, per reliquam noctem in ipso foro sicut ferae in retibus tenerentur, dum die illucescente populo in contionem conuocato totum scelus manifestum pateret. bonus M. Tullius aegre tulit quod Brutus eum *optimum consulem* appellauit [ep. ad Att. 12, 21¹]: quanto pere hoc optimo consule peiorem rei publicae operam praestitit. coniuratos domum suam uocauit, ibi, ne in senatu quidem, litteras illas quibus coarguebantur, aperiebat [Cat. 3, 7], postquam ad senatum rettulit, populo in contionem conuocato satis habuit quantum libuit narrare.

Ubi primum coniurationem illa ratione ingeniosa et uere ciuili populo patefecit, Seruilius consul — alter ad urbem cum exercitu erat neque bene Dionysius eum facit forum curiamque intrantem — senatum uocat, uerba facit, sententias perrogat. senatus indicibus praemia decernit: de eius sententia populum consul rogatum coniuratos necari iubeat. nouum et inauditum iudicii genus, ne nomine quidem iudicii dignum: quid tamen? id effecit scriptor ut neque senatum neque Seruilium consulem iniussu populi ciues Romanos quamuis manifestos reos capite punire uoluisse intellexeretur et quo melius illi, eo peius Ciceronem rem egisse pateret. huic ipsi illudit, dum antiqua narrat et obsoleta, annalium iste scriptor quicumque fuit, neque id agit ut Seruili consulum memoriae gloriosae tradat, sed ut Ciceronis obrectatoribus et aduersariis publice plaudat, in primis P. Clodio tribuno. quo rogante paucis annis post Ciceronem consulem plebem sciuisse omnes nostis ut qui ciuem Romanum indemnatum interemerit, ei aqua et igni interdicator, Cicerone non nominato, sed solo petito, ut dicit Velleius [2, 45]: acerbissime postea M. Tullius in Gabinium innectus est, quod consul a Clodio in contionem productus uehementissime sibi displicere dixisset, quod in ciuis indemnatos esset animaduersum [Cic. post red. in sen. 13].

Quamuis quid lateat sub iis quae Dionysii auctor de Seruili consulum audacter et insolenter mentitus est, satis superque demonstratum esse uideatur, id restat quo, si fieri potest, etiam manifestius quam ceteris omnibus quae huc usque exposui scriptoris consilium prodatur. dicit enim Seruili optimis consiliis non id tantum factum esse ut omnes una coniurationis duces tenerentur, populi iussu punirentur, nullum bellum remaneret, sed etiam ut uno quasi ictu omne motus turbaeque ciuilis periculum profigeretur. postquam enim illi mortem subissent, nullas delationes esse acceptas, sed quicumque ex coniuratis primam illam

punitionem effugissent, eos omnes esse culpa liberatos. post Lentuli eiusque sociorum mortem clademque ipsius Catilinae multos delatos seuerisque iudiciis in eos saeuitum esse Cicero ipse confitetur [p. Sull. 92]; ex delatoribus praecipue mentio fit L. Vettii equitis [Cass. Dio 37, 41. Oros. 6, 67]; quantopere uero Ciceronem aduersarii infamarint, luculentus testis est L. Piso, qui in oratione ab eo contra Ciceronem edita, cuius partem Sallustio adscriptam et hoc modo seruatam fuisse olim una cum Reitzensteinio amico demonstraui [Herm. 33, 87 sq.], huiusmodi calumnias proferre non ueritus est [innect. in M. Tull. 3. 4]: *sed, ut opinor, illa te magis extollunt quae post consulatum cum Terentia uxore de re publica consulisti, cum legis Plautiae iudicia domo faciebatis, ex coniuuatis alios <capitis, alios> pecunia condemnabas, cum tibi alius Tusculanam, alius Pompeianam uillam exaedificabat, alius domum emebat: qui uero nihil poterat, is erat calumniae proximus, is aut domum tuam oppugnatum uenerat aut insidias senatui fecerat, denique de eo tibi compertum erat, quae si tibi falsa obicio, redde rationem quantum patrimonii acceperis, quid tibi litibus acceuerit, qua ex pecunia domum paraueris, Tusculanum et Pompeianum infinito sumptu aedificaueris: aut si retices, cui dubium potest esse quin opulentiam istam ex sanguine et miseris ciuium pararis?*

Sive ab homine Romano postulari, ut patriam superstitionem coleret, putabat sive arte historiam scribendi ei praecipui uidebatur, ne rem diuinam praetermitteret, annalium ille scriptor non somnia tantum et uaticinia narrationi immiscuit [Dionys. 5, 54], sed totius populi lustratione inserta rem pie conclusit [ibid. 5, 57²]; secuntur ludi et supplicationes. iam audite Ciceronem in contione gloriantem [Cat. 3, 15]: *atque etiam supplicatio dis immortalibus pro singulari eorum merito meo nomine decreta est, quod mihi primum post hanc urbem conditam togato contigit, et his uerbis decreta est: 'quod urbem incendiis, caede ciuis, Italiam bello liberassem'. quae supplicatio si cum ceteris conferatur, hoc interest quod ceterae bene gesta, haec una conseruata re publica constituta est.* talia anticus ille Seruilius, non Cicero secundum istius scriptoris sententiam de se ipso dicere poterat; illi, non Ciceroni primo multoque iustius supplicationem decretam esse M. Tullii gloriatiōni opponitur. quid uero? Seruilius consul togatus domi omnia optime peregit, M'. Tullio collegae qui cum exercitu ad urbem erat, nullam gloriae occasionem reliquit. uel hunc ipsum narrationis ordinem atque tenorem Ciceronis aequalibus risum genialem mouisse crediderim quippe quo famosum illud *'cedant arma togae, concedat laurea laudi* non sine ioco in contrarium uerti uideretur: quales uero cachinnos uel

seueriorum senum euocasse putandum est nequissimum narrationis exodium quo consul Tullius in ludorum Romanorum pompa de curru cecidisse dicebatur? nescio quid magis mirer, impudentiamne fingendi an irrisionis proteruitatem an stuporem Dionysii hos lepores pro uera et utili historia uidentis. certe quicumque siue de rationibus quas Romani in annalibus scribendis tenere, siue de ingenio Dionysii iudicaturus est, huius narrationis memor esse debebit.

Quamuis multi Liuii Dionysiique historias inter se comparauerint, huc usque nemini in mentem uenisse miror ut quam operam in comparando consumpserit, ex ea hoc proficiat ut Liuii ars narrandi dilucidetur et patefiat. utrumque enim ex iisdem fere annalibus libros suos compilasse constat — errant qui Liuium a Dionysio exscriptum esse opinantur —, ipsae res quas tradunt, inter se simillimae sunt; ut tantopere inter se distent, nulla re magis effectum est quam eis artis praeeptis quae Liuius secutus est. conferatis e. gr. qua ratione uterque prima rei publicae tempora narrauerit. quae tum facta esse dicebantur, ea grauitate increpat Cicero, ni fallor, Polybium secutus antiquissimos annales secundum ipsius aetatis rationes explicantem atque interpretantem [de re publ. 1, 62]: *ergo etiam illud uides de quo progrediente oratione plura me dicturum puto, Tarquinio exacto mira quadam exultasse populum insolentia libertatis: tum exacti in exilium innocentes, tum bona direpta multorum, tum anni consules, tum demissi populo fasces, tum prouocationes omnium rerum, tum secessiones plebei, tum prorsus ita acta pleraque ut in populo essent omnia et postea* [2, 53]: *hac mente tum nostri maiores et Collatinum innocentem suspicione cognationis expulerunt et reliquos Tarquinos offensione nominis. addo eos locos quibus secundum antiquos scriptores consulatum L. Tarquinio abrogatum esse Cicero testatur* [Brut. 53]: *L. Bruto qui collegae suo imperium abrogauerit, ut e ciuitate regalis nominis memoriam tolleret et* [de off. 3, 40] *cum Collatino collegae Brutus imperium abrogabat, poterat uideri facere id iniuste, fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti consiliorum et adiutor. cum autem consilium hoc principes cepissent cognationem Superbi nomenque Tarquiniorum et memoriam regni esse tollendam, quod erat utile, patriae consulere, id erat ita honestum ut etiam ipsi Collatino placere deberet.*

Hac in narratione duo displicuerunt: et innocentia Tarquinii et ipsa consulatus abrogatio. illa offensio ut tolleretur, Tarquinium nimis clementem fuisse fingebatur contra iuuenes propinquos, cum eius coniurationis rei facti essent quam filiorum Bruti breui-

tatis causa dicere liceat. ita non nomine et stirpe tantum Collatinus cum regni causa cohaerere uidebatur, et qua clementia cognatos poenae eripiebat, ea acute opponebatur saevae Bruti iustitiae in ipsa filiorum morte ne oculis quidem suis parentis. hoc modo qui antiquos scriptores correxere, ii narrationis ordinem facere meliorem sibi uidebantur: longe aliam rationem sequebantur qui Tarquinio imperium non abrogatum esse, sed ipsum magistratu se abdicasse contenderunt. quod enim Ti. Graccho eiusque laudatoribus obieciunt a collega alteri collegae magistratum abrogatum esse, id a libertatis Romanae conditore factum esse putare periculosum uidebatur. iam Dionysium et Liuium inspiciamus. inepte et insulse ille utramque narrationis antiquae correcturam in unum coniunxit. primo optime procedit narratio: Brutus filios capite damnat, dum de Aquiliis Collatini nepotibus eandem sententiam laturus est, collega intercedit, ille ut intercessionis obstaculum remoueat, populum statim conuocatum adhortatur ut collegae imperium adimat. iam omnia in contrarium uertuntur. Sp. Lucretium contione data consules orat ne rixando malum exemplum praebent, Collatinus se abdicat, Brutus non uerbis tantum generosis eum prosequitur, sed etiam largis et publice et priuatim onerat beneficiis [5, 12^r]: ταῦτα δ' ὑποθέμενος τῷ ἀνδρὶ πείθει τὸν δῆμον εἰκοσι τάλαντων δοῦναι αὐτῷ δωρεὰν καὶ αὐτὸς κέντε τάλαντα προστίθῃσιν ἐκ τῶν ἰδίων. at quamuis male Dionysius narrationem composuerit, nolite credere eum temere aliquid de suo addidisse. quod adnotat Sp. Lucretium primum a consulibus contionem petiisse, hoc scriptorum Romanorum optime illustratur consuetudo mores institutaque maiorum et ius publicum exemplis fingendo conquisitis exponendi, neque mira illa beneficia quae in Collatinum abeuntem collata esse traduntur, merae mentiendi licentiae debentur, sed ex annalium quodam scriptore desumpta sunt, qui id egit ut populum regno liberatum demonstraret non modo neminis bona diripuisse, id quod apud Ciceronem legitur, sed etiam liberalissime cum eo Tarquiniorum gentili egisse cui nihil praeter nomen obieciatur.

At Liuium prae Dionysio laudare solent quod antiquos secutus Collatini exilium cum Bruti filiorum coniuratione conecere noluit. noluit sane, immo Collatinum ab omni culpae suspitione procal habuit neque multum eius iudicium a Cicerone uidetur distare cum se *nescire* fatetur *an nimis undique* libertatem *minimisque rebus muniendo modum excesserint* [2, 2^r]. neque tamen propter hoc laudandus est quod rerum ueritatis curiosus antiquorum simplicitatem recentiorum fucio praetulerit, sed quod melius Dionysio perspexit Bruti seueritatem horridiorem tristioremque

fieri, si coniurationis narratio per se poneretur, neque priscae illius grauitatis esse cum collega rixari et ad populum confugere ut legitima alterius magistratus intercessio tolleretur. quae narrationis arti non contraria uidebantur recentiorum figmenta, ea retinuit omnia, Tarquiniu abdicacionem, Lucretii consilium, beneficia in exilium abituro decreta, sed etiam haec callide expoliuit ornauitque. sordidam illam doctrinam aetatis ni fallor Sullanae qua qui primus ex populo in contione locutus esset, adnotabatur, spernebat Caesaris Augusti aequalis quippe cui magis Romanum uideretur mundo imperare quam in foro et contionibus uersari, neque tamen tacuit de Sp. Lucretio [2, 2⁹]; ridiculum ducebat pecunias Collatino erogatas accurate enotare: sed se eadem apud auctores suos inuenisse atque ea quae Dionysius stupide transcribit, aperte prodit Brutum faciendo pollicentem [2, 2⁷]: *res tuas tibi non solum reddent ciues tui auctore me, sed si quid deest, munifice augebunt.*

Caueatis igitur, dum Dionysium Liuiumque comparatis, ne quae ab hoc apte disposita et fallaci quodam simplicitatis colore obducta sunt, ea antiquiori memoriae adscribatis quam illa monstra quae Dionysii stultitia multo minus procreauit quam effrenata septimi urbis saeculi licentia, cuius mentes partium certaminibus, bellis ciuili et sociali, perpetua totius rei publicae perturbatione obduratae corruptaeque maiestate historiae abutebantur, ut temporum pusillitati seruirent, artisque decus et uenustatem prae forensi rabularum loquacitate despiciebant. de quibus, nisi tempus urgeret, plura uos docerem; nunc satis habeo in eius de quo agere coepi exempli finibus disputationem retinere et pauca addere quibus Liuianam narrationem Dionysiana — Dionysianam narrationem, non ipsum Dionysium me dicere bene uelim animaduertatis — posteriore esse probem. sed antequam ad hoc accedam, pauca de tertio harum rerum auctore dicenda sunt, de Plutarcho. qui in Poplicolae uita non ut in Coriolano ipsum Dionysium exscripsit, sed alium quendam auctorem adhibuit ei quem Dionysius secutus est, simillima narrantem, ita tamen ut quaecumque ille siue inuenerat siue tradiderat, eis nullo alio consilio nisi ampliandi et ornandi causa noua adderet, totum uero narrationis tenorem seruaret. pauca exempla sufficiant. apud Dionysium [5, 9] Collatinus Bruto semel aduersatur de poena coniuratorum, apud Plutarchum bis, et de bonis Tarquiniu regis [Popl. 3] et iterum in iudicio coniuratorum [Popl. 7], quod et ipsum ita mutatur ut Brutus post filiorum mortem domum eat, Collatinus non dum collegae adest, sed dum iudex est, clementer rem agere conetur.

deinde apud Dionysium coniurati Aquilliorum domum coeunt praetextu sacrorum inuitati [5, 7^a], apud Plutarchum [Popl. 4] atrox et nefandum illud humani corporis sacrificium peragunt quo adhibito Catilina socios ad iusiurandum adegisse dicebatur [Sall. Cat. 22. Cass. Dio 37, 30. Plut. Cic. 10. Flor. 2, 12^a]. apud utrumque [Dionys. 5, 7. Plut. Popl. 4. 5] coniuratio non ad consules, sed ad P. Valerium priuatum defertur, sed illic apud Aquillos omnes et litterae ad Tarquinium datae et ipsi adulescentes sine tumultu comprehenduntur, secundum posteriorem auctorem et Aquilliorum domus et regis legatorum hospitium non sine ui expugnantur. uno certe loco hunc auctorem alteri ipsis uerbis contradixisse coniecero, nisi forte Plutarchum Dionysii narrationem obiter inspexisse credere malis. qui [5, 7^a] Vindicium seruuum cum in ipso coniuratorum conuiuio nefaria et scelesta parari suspicatus esset, foras excedere iussum ad portam remansisse narrat et per eius rimas omnia uidisse atque auscultasse. lepidius et copiosius Plutarchi [Popl. 4] auctor narrationem instituit: seruus in conclauis deserto et obscuro quod coniurati secreto concilio destinarunt, casu remanet et dum coniurati intrant, non consilio uel suspicionis causa [Popl. 4 οὐ κατ' ἐπιβουλὴν ἢ προαίσθησίν τινα τοῦ μέλλοντος] sed timore commotus post arcam quandam se abdit ita ut multo clarius omnia audiat atque spectet quam seruus Dionysianus.

Redeamus ad Liniū, qui pusilla quaeque et minuta poetarum more enarrare ab historiae grauitate alienum esse doctus rapido cursu narrationem peragit, pauca tamen reliquit indicia quibus eum auctores et Dionysiano et Plutarcho posteriores ante oculos habuisse certiores fiamus. Dionysius coniuratos insane commisisse dicit ut sociorum indicem conscribant conscriptumque Tarquinii legatis tradant [5, 7^a]: *τοσαύτη γὰρ ἔνοια καὶ θεοβλάβεια τοὺς δυστήνους ἐκείνους κατέσχευεν ὥστε ὑπέμειναν ἐπιστολὰς γράψαι πρὸς τὸν τύραννον αὐτογράφως δηλοῦντες αὐτῶι τὸ πλῆθος τε τῶν μετεχόντων τῆς συνωμοσίας καὶ χρόνον ἐν ᾧ τὴν παρὰ τῶν ὑπάτων ἐπίθεσιν ἐμελλον ποιήσεσθαι, πεισθέντες ὑπὸ τῶν ἀφικομένων ὡς αὐτοὺς παρὰ τοῦ τυράννου γραμμάτων ὅτι βούλεται προσιδέναι τίνας αὐτῶι προσήκει Ῥωμαίων εὐ ποιεῖν κατασχόντι τὴν ἀρχήν.* haec apud Liniū corriguntur narratione aptius et rotundius instituta; coniuratos non potuisse litteras non dare [2, 4^a]: *legati regis euincunt instando ut litterae sibi ad Tarquinius darentur: nam aliter qui credituros eos non uana ab legatis super rebus tantis afferri? datae litterae ut pignus fidei essent, manifestum facinus fecerunt.* ceterum memoratu dignum est quod simile quid in Catilinae con-

iuratione accidisse dicitur: Allobrogum legati a Lentulo sociisque eius petierunt *iusurandum quod signatum ad ciues perferrent: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse* [Sall. Cat. 44]. quo modo fieri potuisset ut seruus coniuratorum concilio clam adesset, accurate narrare Liuius arte uetari putabat, sed quod rem ita compressit ut seruum quid ageretur antea sensisse diceret, eam autem occasionem ut litterae legatis darentur, quae deprehensae rem coarguere possent, expectasse [2, 4⁶], his ipsis uerbis se et Dionysianam et Plutarcheam narrationem impugnare prodidit. seruus Liuianus enim neque nihil antea sensit ut Plutarcheus neque ultimo demum coniuratorum conuentu in suspicionem ductus est ut Dionysianus. siquis Liuium ipsum, non eius auctorem eiusmodi minutas correcturas inuenisse coniecerit, me non habebit obloquentem, id uero integram manet et Dionysii et Plutarchi auctores quamuis recentes ei notos fuisse. neque desunt ii loci quibus eum auctorum illorum recentiore usum esse demonstrari possit. si Dionysium auditis, Valerius Poplicola postquam M. Horatium collegam sibi suffecit, leges de regno et de prouocatione rogauit [5, 19], ut uulgi inuidiam tolleret, quam subierat cum Bruto mortuo per aliquantum temporis magistratum solus gereret. inuidiae eandem causam Plutarchus [Popl. 10. 11] apud auctorem suum inuenit, cetera mutata: non collega suffecto sed comitiis collegae subrogando edictis neque tamen habitis Poplicolam leges illas pertulisse, ne si collega crearetur minus popularis, ille iis aduersaretur. hanc narrationem ex ea quae apud Dionysium est, deriuatam esse apparet, quoniam magis complicata est collegaeque suffectionem in plures ut ita dicam gradus et progressus dispertit. iam quod Poplicolam comitia collegae subrogando non habuisse nisi postquam solus leges pertulerit Liuius auctor est [2, 8³], aliter non potest explicari nisi ita ut Plutarchi auctorem ante oculos habuisse putetur, quamuis tempore rogationum non accurate enotato narrationem Plutarcheam contraxerit rationemque addiderit minus bonam: Poplicolam suam unius in rogationibus gratiam esse uoluisse. quod mihi quidem Liuius ipse ex artis praeceptis excogitasse uidetur narrationem melius procedere ratus, si aliqua certe macula Poplicolae adhaereat. ceterum eiusmodi rationes ne a Plutarchi quidem auctore alienae fuisse uidentur: cf. quae et Liuius et Plutarchus de inuidia etsi non ipsius Poplicolae sed eius propinquorum contra M. Horatium tradunt [Liv. 2, 8. Plut. Popl. 14]. omnia non extrico: Dionysium tamen antiquiora Liuius Plutarchoque, etsi minime antiqua

tradere, Lini narrationem non minus recentem et complicatam esse quam Plutarchi certum.

Subsisto, nobis haec agenda et confirmanda relinquens. unum tamen addo: caueatis Babylonios et Chaldaeos qui uirga Mercuriali alii alia armati annalium Romanorum siluam perquirunt, ut quos fontes dicere solent inuestigent. uirgas suas spem fefellisse adeo neque intellexerunt unquam neque intellegunt ut se quisque puras et limpidas aquas hausisse gloriatur: mihi nescio quo casu accidere solet ut cum eas gustem, stagna et paludes sapere uideantur ad unam omnes.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the document.